



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 4. De comparatione fidei Christianae ad alias sectas in credibilitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

Augustini argu-
mentum
ad idem.

Argumentatur recte August. dicta epistola 49. q. 6. nam vel omnia, quæ pro nostra fide narrantur falsa sunt: vel aliquod est verum. Primum per se est incredibile propter dicta, si autem secundum admittatur, eo ipso ponitur Deus, ut auctor, vel confirmator huius doctrinæ, & ex vno tali miraculo recte colligitur, etiam alia quæ simili auctoritate narrantur esse vera; quia non est maior ratio de vno, quam de alijs, & hoc modo ex veritate miraculorum Christi, recte colligere possumus, vera etiam fuisse, quæ Apostoli faciebant, quia ad eundem finem, & eadem virtute, illa faciebant, ut ipsi profitebantur: & simile argumentum in posterioribus sanctis fieri potest.

Obicitur 2.
potuisse fieri
miracula ad
testandam
falsitatem,

10. Adhuc tamen instari potest, quia non repugnat bonitati Dei, per prauos homines interdum vera miracula facere: ergo miracula, etsi constet esse vera, non satis confirmant fidei credibilitatem: antecedens patet: quia operatio miraculorum pertinet ad gratias gratis datas, quæ & malis, & bonis communicantur: unde est illud Pauli. 1. ad Corinth. 13. Si habuerō omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuerō, nihil mihi prodest: consequentia autem probatur: quia si prauus homo potest facere verum miraculum, etiam potest esse deceptor, & falsum dicere: ergo ex veritate miraculi non recte colligitur veritas doctrinæ. Respondetur duobus modis posse fieri miraculum. Primum sine vilo respectu ad veritatem aliquam, per illud confirmandam, sed solum propter illius utilitatem, ut ad conferendam sanitatem, vel quid simile. Secundo fit miraculum, in testimonium alicuius doctrinæ, ut veram esse confirmet: priori modo verum est, posse Deum facere miracula per prauos homines, & hoc modo procedit obiectio facta, quauis fortasse rarissime hoc contingat, & quando euenit, magis est ex fide recipientis, quam ex virtute operantis: posteriori autem modo fieri non potest, ut miraculum fiat in confirmationem falsitatis, quia alias Deus cooperaretur mendacio, & esset testis eius, ut sentit Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 6. & latius D. Thomas 3. parte q. 43. & 44. vbi in disput. 31. multa de hoc puncto dixi. Et videri etiam potest Canisius lib. 5. de Deipara cap. 15. & Bellarmin. lib. 4. de notis Ecclesiæ capit. 14. & Bosius supra citatus in fine numeri 3.

4. Motiuum.
Perpetuas
eiusdem fidei
in Eccle-
sia.

11. Tandem inter miracula magna diuinæ potentia, quibus hæc fides facta est credibilis, numerari potest perseverantia, & duratio eiusdem fidei, & Ecclesiæ per illam fundatæ ab initio prædicationis Euangelicæ usque nunc. Nam cum hæc fides ex vna parte sit valde difficilis ad credendum, quia multum superat naturalem intellectus capacitatem: & ex alia sit valde ardua ad obseruandum, quia præcipit multa valde spiritualia, & concupiscentiæ repugnantia, & aliunde quam plures sectas, & errores destruxerit, & ideo infinitos habuerit hostes, ac potentissimos: nihilominus integra permanfit, & in persecutionibus ipsis, & contradictionibus numero, & merito aucta est; & in cognitione veritatis illuminata, quod profecto sine speciali Dei virtute, & auxilio, nulla virtus humana efficere potuisset. Atque ita experimento videmus impletam Christi prophetiam. Porta inferi non perualebunt aduersus eam, & eiusdem promissionem. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Atque hoc ipsum intendit Augustin. in suo tertio motiuo, quod sumpsit ex continua successione Summorum Pontificum in sede Petri: nam quia illa est Petra, supra quam Christus fundauit Ecclesiam, eadem virtute immobilis perseverat, quæ ipsa Ecclesia, & eius fides: quod si illud motiuum visum est Augustino sufficiens post quadringentos annos à Christi aduentu, & post 42. successiones Episcoporum Romanorum, profecto longe mirabilior est, magisque diuinam virtutem ostendit eiusdem sedis usque ad nostra tempora conti-

nuua successio, ut disputat. 10. sect. 2. tractabitur.

12. Ex his omnibus conglobatur demonstratio, qua credibilitas nostræ fidei euidenter ostenditur in hunc modum. Doctrina quæ per se est valde consentanea rationi, maiestati, ac excellentiæ diuinæ, bonisque moribus, innumerabilisque habet testes fide dignissimos, qui non solum humana, sed etiam diuina virtute per signa mirabilia illam confirmant, & ita firmanunt, ut potentia mundi, & demonum contra illam perualere non potuerit, credibilis est: sed talis est doctrina fidei Christianæ, ergo est credibilis. Consequentia est euidentis, ut per se patet: præmissæ etiam sunt euidentis: ergo, & conclusio euidentis est. Et quidem de minori, quod sit euidentis ex ipso facto, & experimento constat: neque obstat, quod multa ex his quæ diximus ad nos peruenerint per historiam, & traditionem humanam: nam illa est tam constans tamque vniuersalis, & nota, ut sufficiat ad euidentiam humanam in testificante faciendam, qualis est de hac propositione Roma est, & similibus. Illa ergo multo magis sufficit ad euidentiam credibilitatis. Prima etiam præmissa est euidentis ex terminis, & ex definitione ipsius credibilis. Addere vero possumus, ad maiorem illius confirmationem, naturaliter euidentis esse, Deum habere providentiæ rerum humanarum, & ideo non deferre hominem, in his maxime, quæ ad ipsiusmet notitiā, & cultum, & ad felicitatem æternam pertinent. Unde incredibile est, Deum ita sua providentia destituisse homines hanc fidem amplectentes, ut permittat eos decipi cum tanta credibilitatis euidentia, maxime cum inter eos sint multi, qui toto corde Deum ipsum, eiusque veritatem querunt. Propter quod dixit Chrysostom. in quadam homilia de providentia, si ne magna iniuria providentiæ diuinæ, non posset hanc fidem falsam reputari, & quod si per impossibile falsa esset, non posset hominibus imputari, quia prudentissime illam credunt. Accedit denique, quod cum hæc doctrina sub diuina auctoritate proponatur, ad ipsius etiam Dei auctoritatem, & veritatem spectat, non permittit, ut sub eius nomine, & testimonio homines cum tanta credibilitate decipiantur: propter quod Richard. de S. Victo. lib. 1. de Trinit. cap. 2. cum Deo loquens ausus est dicere. Si error est quem credimus, a te decepti sumus: ipsi enim signis doctrina hac confirmata est, quæ, nisi a te fieri non potuerunt.

Assertio pos-
ita nam 1.
conglobato
ex dictis ar-
gumēto pro-
batur.

Confirm. 1.

Confirm. 2.

SECTIO QUARTA.

Verum fides Christiana ad alias sectas comparata sit euidenter credibilior illis, imo ille sint plane incredibiles comparatione istius?

Resolutio huius quæstionis, generatim loquendo, manifesta est ex dictis; nam stante credibilitate catholicæ doctrinæ, qualis à nobis demonstrata est, impossibile est doctrinam illi repugnantem, in comparatione eius, esse credibilem. Primo quia ostensum est hanc doctrinam ita esse credibilem, ut repugnet providentiæ diuinæ tantam credibilitatem cadere in rem falsam: ergo non possunt propositiones contrariæ, simul esse credibiles, tanta credibilitate: ergo sumpta credibilitate huius doctrinæ, necesse est ut credibilitas cuiuscunque repugnantis doctrinæ, sit longe minor, quod etiam vnicuique fiet euidentis, applicando omnia motiua adducta, ad alias sectas: in nulla enim alia ita inueniuntur. Ut autem vtiliter, & euidenter sit hæc collatio, oportet sectas infidelium distinguere, & de singulis aliquid dicere. Distinguntur autem à Theologis tres species infidelitatis, Paganismus, Iudaismus, & hæresis: inter quas hoc differt, quantum ad præsens spectat, quod pagani neque aliquas Scripturas diuinas ad-

Assertio af-
firm. summa
tim proba-
tur.

Probatur de
inde compa-
rando fident
tres gene-
rales sectas
infidelitatis.
Distinguitur in-
ter illas se-
ctas.

admittunt; neque in Christo villo modo credunt; Iudæi verò admittunt Scripturas veteris testamenti; & profitentur se credere Messiam, non tamen credunt iam venisse: & ita errant in eius persona. Hæretici verò vtrumque testamentum admittunt, & in verum Christum se credere profitentur, in eius tamen doctrina multum errant. Igitur cum singulis speciebus harum sectarum comparatio faciendū est.

Comparatio fidei Christianæ ad Paganismum.

Primo quoad
nam eius
speciem ido-
latr.

2. Circa primum subdistingtio adhiberi potest: nam inter paganos, sub illis Gentiles comprehendendo, quidam sunt, qui vnum Deum non agnoscunt, sed plures colunt: & huiusmodi sunt idolatæ, cum quibus facilis est, & expedita disputatio, nam, vt dixit August. lib. 12. Gen. ad Lit. cap. 14. Cum ad aliquid peruenitur, quod est contra bonos mores, non magnum est tunc falsam sectam a vera discernere, quia vt supra dicebamus vera fides non potest esse rationi contraria, etiam si supra illam sit, & ideo non potest aliquid approbare, quod sit contra bonos mores secundum rectam, & euidentem rationem naturalem. At verò omnes sectæ Gentilium idola colentium, in multis peccant contra rationem naturalem, quæ illorum sectæ approbant: nam in primis ipsam idololatricam, & plurium Deorum opinio, est contra euidentem rationem naturalem; & deinde, fere omnes admittunt alia multa manifeste praua secundum rectam rationem; quod argumentum sufficit, vt huiusmodi sectæ sint incredibiles, & ita eo maxime vtuntur sancti Patres, disputantes contra Gentiles, & contra Idola, vt videre licet in Iustino in Apolog. Cyprian. cont. Idol. Tertul. in Apolog. & alijs; & hæc etiam ratio valet contra omnes antiquos Philosophos, & eorum sectas: pauci enim illorum sunt, qui vnum verum Deum agnouerint, & si aliqui illum cognouerunt, non illum glorificauerunt sicut Deum, aut gratias egerunt, vt ait Paul. ad Rō. 1. quia vel circa Dei providentiam, vel circa veram hominis felicitatem, multum errarunt: vnde etiam in alios errores, & vitia prolapsi sunt, vt profequitur Paul. citato loco: Qui rationi addendum est, in nulla huiusmodi secta inueniri ea testimonia credibilitatis, quæ nos adduximus, neque multo etiam inferiora; ergo nulla potest fieri comparatio talium sectarum, cum nostræ fidei credibilitate. Vnde August. lib. de vera religione cap. 3. concludit, quod si Plato, vel alius similis Philosophus testimonia nostræ fidei cognouisset, sine dubio credidisset.

Secundo quoad
ad alteram
speciem ieo-
dæm. i. i.
Mahomet.

3. Alia veluti species huius generis infidelitatis est, quæ proprie Paganismus dicitur, sic enim appellantur qui sectam Mahometi sequuntur: nam illi vnum Deum confitentur, & illum se colere profitentur: eodem tamen argumento errare conuincuntur in sua speciali secta, tum quia multa etiam admittunt rationi contraria, & turpia, vt quod felicitas sit in voluntatibus corporis, & alia quæ prudenter referri non possunt, & de illis videri potest Medina lib. 1. de recta in Deum fide cap. 4. vbi etiam ostendit in Alcorano, quam ipsi, vt suam scripturam admittunt, multas esse contradictiones, & inconstantias in doctrina: quæ ostendunt manifeste eius incredibilitatem. Accedit etiam, quod author illius sectæ, nullam habuit auctoritatem fide dignā, etiam humanā. Nam vt commune est in historijs, fuit homo imperitus, & vitij deditus. Credibilitas autem doctrinæ multum pendet ex qualitate primi doctoris eius, seu primi proponentis. Et hæc ratio, multum etiam valet contra sectas quorumcunque Philosophorum: nam authores earum regulariter vitij subiecti fuerunt, quæ plurima, & enormia Paul. recenset in dicta Epist. ad Rom. ab illis verbis Propter quod tradidit illos Deus in desideria &c. vique ad

suarez de Fide.

finem capitis, & si quis videtur bonis moribus fuisse, saltem humanam gloriam, & vanitatem affectabat Propter quod dixit August. lib. 3. cont. Acadam. cap. ult. nullius auctoritatem posse cum Christi auctoritate comparari. Deniq; motuum illud, quod de miraculis adduximus, magnam efficaciam habet contra omnes has sectas, sine Paganorum, siue Gentilium, quia nulla talia ab eis fieri potuerunt: quod si interdum aliqua similia fingere ausi sunt, fallaciaris, & deceptionis facile sunt conuicti, vt Patres supra allegati ostendunt. Prophetiæ deniq; mysteriorum nostræ fidei, eos possunt sufficienter conuincere, tum quia licet non admittant verum testamentum tanquam diuinam Scripturam: nihilominus negare non possunt fuisse scriptum ante Christi aduentum. Et ideo notant Patres, diuina providentia factum esse, vt in Græcam linguam conuerteretur, vt posset etiam valere ad gentiles conuincendos, vt notat Euseb. lib. 5. de demonstrat. Aug. lib. 8. de Ciuit. c. 42. & 46. & Iren. lib. 3. cap. 25. tum etiam quia ex eadem Dei providentia est, vt inter Gentiles quoq; essent aliquæ prophetiæ, de mysterijs Christi, vt est vulgare de Sybillis apud Lactantium lib. 4. diuinorum institutionum cap. 5. & sequentibus. & Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 23. & concione ad Catechum. contr. Paganos, & alia videri possunt in Rufino lib. 2. Histor. cap. 29. & Tripartita lib. 9. cap. 29.

Comparatio ad Iudaismum.

4. Secundo, faciendū est comparatio cum Iudaismo, quæ est multo facilior, & euidentior ex concessis, quia isti testamentum verum, & prophetias admittunt. Est autem aduertendum, Iudaismum totum ad duos errores principales reduci: vnus, & præcipuus est, quia non admittunt, nec credunt Messiam venisse: & ideo si de hoc errore conuincantur, tota illorum secta facile destruitur: conuincuntur autem præcipue ex prophetijs veteris testamenti, ostendendo aperte, illas esse impletas: & ideo aiebat Christus Dominus Ioan. 5. Scrutamini Scripturas: illa enim testamentum perhibent de me: quia non solum continent promissionem ipsius Messiae, sed etiam signa pericula, & sufficientia temporis aduentus eius, & ideo subiungit Christus Dominus. Si crederetis Moysi, crederetis vtiq; & mihi, ille enim de me scripsit, quod intelligendum est, non solum quia Deuter. 18. habetur expressa promissio, Prophetam suscitabo tui &c. sed etiam quia tota lex Moysi fuit quædam prophetia, & figura Christi, vt dixit Aug. 16. cont. Faust. cap. 22. atque hoc modo persuadendi fidem de se ipso, vsus est Christus Dominus Luca vltimo. vbi incipiens à Moysi, & omnibus Prophetis, interpretabatur illum omnibus Scripturis, quæ de ipso scriptæ erant, & infra dicit, necesse erat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Eodem argumento vsi sunt omnes, qui testimonium Christo dederunt. Angelus enim annuncians mysterium incarnationis, statim antiquas prophetias indicauit, dicens. Dabit illi Dominus sedem David patris eius: & Beata Virgo in suo Cantico. Sicut loquutus est ad patres nostros. & Zachar. in suo: Sicut loquutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius: & Simeon in suo. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Luca primo, & 2. & Ioann. Matthei tertio. Hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam. Idem seruauerunt Euangelistæ, vt de incarnatione patet Matthei primo, vers. 22. De Natiuitate Matth. 2. versu 6. de Passione, Matth. 26. versu 31. & Ioan. 19. versu 24. 36. 37. Acceduntque idem seruauerunt Apostoli præcipue quando ad Iudeos prædicabant, vt patet Act. 2. 3. & 13. ac 15. & optime Paul. in Epist. ad Hebr. & ad Rom. 1. in principio, & Petrus 2. Epist. capite 1.

5. Præterea sancti Patres locum hunc locupletant, vt videre licet in Cyprian. lib. 1. & 2. ad Quirinum, & lib. de Montib. Sinæ, & Sion. Tertul. & Gregor.

Proprius Iudaorum error ex veri-
tatis conuincitur.

Item ex Patrum argumētis.

gor. Nyssen. lib. contra Iudæos, & Chrysostom. orationibus 5. contra eosdem, & Augustinus alia oratione contra eosdem, & oratione ad Catechum. contra varios errores à cap. 11. & in Dialogo Ecclesiæ, & Synagoga, & bene Euseb. lib. 1. de demonstrat. Euangelica. De applicatione autem præcipuarum prophetiarum designantium tempus aduentus Messie ad Christi Domini aduentum, videri possunt quæ in primo tomo de Incarnatione in principio late prosecuti sumus. Ex his ergo non solum concluditur, nostram fidem esse credibilem: sed etiam conuincitur, Iudaicam perditionem plane esse, solumque procedere ex nimia ignorantia, & mentis cecitate, ut dixit Paul. ad Ephes. 4. versu. 18. & prædixit Christus Ioan. 12. *Ambulantes lucem habetis, ut non sent. bris vos comprehendant.* &c.

Disput. 1 per totam.

Christi facta specialiter dirigebantur ad euerzionem Iudaicam.

6. Huic vero euidenti argumento accedit, aliud sumptum ex Christi Domini operibus: nam specialiter facta sunt ad illuminandos, & conuertendos Iudæos, & in se continent, tum rationem sumptam ex testimonio diuino per miracula, quam supra late declarauimus, tum etiam rationem sumptam ex complemento prophetiarum, quomodo exposuimus, quia illam operum erat signa à prophetis prædicta, & prænuntiata pro aduentu Messie, & ideo in his operibus semper fecit vim magnam ipsi semet Christus, *Si mihi non vultis credere, operibus credite: Esi opera non fuissent in eis &c.* Ac denique Ioan. 5. Ego, inquit, habeo testimonium maius Ioanne, & illud explicans addit, *opera quæ ego facio illa testimonium perhibent de me: quod dixit esse testimonium Patris, non hominis.* Denique ipsamet experientia possent Iudæi suum errorem cognoscere, nam in eis impleta sunt, quæ ipsi semet Christus prædixit, *auferetur à vobis regnum Dei.* Matth. 21. *Et non relinquetur hic lapis super lapidem.* Matth. 24. & hæc nunc sufficiunt de primo, & proprio errore Iudæorum. Fuit vero etiam alius, qui proprius dicitur Iudæis tantum potius, quam Iudæorum. Nam erant isti credentes in Christum, volebant autem Iudaismum coniungere cum Evangelio, asserentes debere Iudæos, etiam si Christum, ut Messiam amplectantur, seruare legem Moysis, sed hic error non spectat ad illam speciem infidelitatis, quæ est Iudaismus: sed ad speciem hæresis: & ideo quæ statim generatim dicemus de hæresi, contra illam valent, & specialiter impugnari solet tractando de cessatione legalium in materia delegibus 1. 2. cap. 103. videlicet libro 9. de legib. & prologom. 5. de gratia.

Alter error minus proprie Iudæorum.

Comparatio ad sectas Hæreticorum.

Notationes præ hac comparatione.

7. Tercio comparanda est fides nostra cum sectis hæreticorum generatim. In quo puncto in primis est aduertendum, hæreticos omnes confiteri, doctrinam à Christo, & Apostolis traditam esse veram: in quo cum catholicis conveniunt. Item conveniunt in hoc quod fatentur fidem Christi tantum esse vnā, iuxta illud Paul. ad Ephes. 4. *vnus Deus, vna fides.* Item fatentur, hanc fidem debere esse puram, ab omni falsitate: nam doctrina, quæ reuera procedit à Christo, necessario debet esse in omnibus vera, & infallibilis, alias tota esset incerta, & non posset haberi, ut doctrina Dei, vnde fit inter omnes doctrinas, quæ nomine Christi in mundo existunt, vnā tantum illarum esse re vera à Christo, ac subinde illam solū esse credibilem, ut à Deo dictam, quia cum illæ doctrinæ contraria doceant, non possunt esse omnes veræ; ergo vna tantum illarum, est vera doctrina Christi. Difficultas autem est, quia vnusquisque hæreticorum contendit suam doctrinam esse, quam Christus, & Apostoli tradiderunt, & miraculis confirmarunt: & in quam denique conveniunt omnia, quæ superiori sectione diximus. Vt ergo contra o-

mnes hæreticos ostendamus, in credibilia docere comparatione fidei, quam Ecclesia catholica, & Romana docet, nonnulla motiua, vel signa hæresis proponenda sunt. Possimus autem illa signa reducere ad tria capita posita in sectione precedente, quæ sunt qualitas doctrinæ, testes eius, & Dei subscriptio, seu confirmatio per propria opera eius: hæc namque conferebimus, seu contraponendo, intelligitur facile, quanta sit differentia inter credibilitatem huius dei Romanæ, & cuiuscunque Hæreticæ doctrinæ.

8. In primo capite addenda est hic consideratio, quæ est magnum indicium, veræ vel falsæ doctrinæ fidei, vel quæ tantum de fide prædicatur, quæ conditio est antiquitas, vel nouitas: nam vera fides debet esse antiqua: nouitas autem in materia fidei signum est hæresis, talis autem debet esse antiquitas, ut eius origo possit reduci ad Christum, & Apostolos, vel formaliter, vel virtute: id est, ad aliqua principia ab Apostolis tradita: omnis autem nouitas quæ ab hæc antiquitate discedit signum est falsæ doctrinæ, seu alienæ à vera fide. Hæc autem diuersitas euidenter reperitur inter doctrinam Ecclesiæ, & hæreticorum: nam doctrina Ecclesiæ habet prædictam antiquitatem, ut patet tum ex perpetua successione Pontificum Romanorum à Petro vsque ad hunc qui modò sedet, Paulum Quintum, & Ecclesiæ, quæ illos ut Patres semper agnouit, & fidem Petri retinuit nullum enim aliud initium huius fidei inueniri, aut fingi potest: ite quia hæc fides, in antiquis patribus Ecclesiæ inuenitur, qui à temporibus fere Apostolorum, vsque ad nostra tempora sibi successerunt: at vero è contrario, in quacunque hæresi initium eius notatur, & tempus, & locus ubi incepit, & author à quo ordinari nomen accepit, & hanc differentiam, inter veram doctrinam, & hæresim notarunt Patres. Cyprianus de veritate Ecclesiæ, *non enim nos ab illis, sed illi à nobis discesserunt.* Idem fere Epiphanius in Anchorato circa finem de Hæresi. 76. Cum Aetius Catholicos vocaret antiquarios, ex ipsomet verbo illum conuincit: *nam vera fides, inquit, semper antiqua, nunquam veterasset.* Iulianus Martyr in Dialogo cum Triphone: *quoniam, inquit, omnis hæresis ab aliquo ducit originem, quia Christo desecuit, à nomine authoris suos sequa: es nominat, alia videri possunt in Irenæo lib. 8. contra Hæreses cap. 3. Athanasio serm. 2. contra Arrianos: Hieronymo cont. Lucifer. circa finem. Ratio autem huius conditionis, & differentie, est manifesta: nam vera fides, quam profitemur est fides Christi: ergo ab illo debet ducere originem, & consequenter ab Apostolis, quia per illos prædicata est, & per mundum seminata: ergo doctrina, quæ non reducitur ad hanc originem, non est credibilis, ut diuina: tum quia fides contraria fidei Christi non potest esse diuina, tum etiam quia nullus hæreticus ostendit, nec credibilem facit nouam reuelationem doctrinæ sibi factam: ergo conuincitur esse humanum inuentum incredibile respectu fidei Romanæ.*

9. Ac vero hæretici nostri temporis presidi hæc difficultate fingunt suam doctrinam esse antiquam, & in primitiua Ecclesia fuisse, postea vero per multâ temporalatuisse vsque ad Lutherum, V. g. vel aliud simile, è contrario vero fidem Romanam antiquam per aliqua tempora durasse, postea vero sensim defecisse, & ita illam nunc profitemur, non esse antiquam, sed nouam. Simile autem effugium hæreticorum recte coarguit Tertull. de præscriptionibus Hæreticorum, & Hieronymus. Epistola 65. ad Pammachium, & Oceanum, vnde inter alia dicit: *quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæ te vi parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli vocelatur, & infra, vsque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit, eam senex tenebo fidem, quam à parentibus accepi, cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antea nescimus: præterea illud prius,*

Fideliū ter-
tia compara-
tio ex primâ
motiua præ-
rogatiua fidei
fidei pñro
lecti & nūm.
quibus acce-
dunt alie
prima est an-
tiquitas.

Huius præ-
gatiua ratio.

Hæretici an-
tiquitatem
quoque, suam
dogmatum
ostendit, de
quo videlicet
1. c. 1. defen-
sionis fidei.

Reselluntur
à Tertull. &
à Hieron.

Reselluntur
secundo.

prius, quod hæretici dicunt de antiquitate suæ doctrinæ, sæpe est contra suosmet Authores, qui nouitatem profitentur, imo de illa maxime gloriantur. Deinde est voluntarie assertum, ac subinde fide indiguum: nam si eorum opinio antea erat, & latebat, ostendat aliquod vestigium eius, vel quomodo eis innotuerit, quod lateret: & qua via ad illorum notitiam peruenit. Cum enim nihil horum suadere, aut probare possint, manifeste conuincuntur, gratis hæc confingere ad suam nouitatem occultandam. Denique non minus falsum, & varium est quod aiunt, Romanam fidem sensim defecisse: quia ut dixi, tota inuenitur in veteribus Patribus: & quia assignare non possunt tempus, in quo cepit deficere: nec dogma nouum, quod experit docere antiquis cōtrarium, nec authorem illius temporis, qui tale dogma confutaret: cum tamen experimento constet, nunquam in Ecclesia fuisse exortum nouum errorem, quin statim fuerit a catholicis notatus, & expugnatus.

10. Atque hinc colliguntur duæ aliæ conditiones veræ doctrinæ fidei, quas etiam hæretici negare non audent, & frustra conantur sibi illas accommodare. Vna est vt sit fides Apostolica: nam sicut est de ratione veræ Ecclesiæ, vt sit Apostolica, vt habetur in symbolo: ita est de ratione veræ fidei, vt Apostolica sit, tum quia vera Ecclesia, per veram fidem constituitur: tum etiam, quia eandem habent originem. Ex dictis autem constat fidem, quam profiteamur, esse Apostolicam, non enim ita nominatur, nisi ex origine, & successione, & quia Apostolico testimonio fundata est. Eōtrario vero hæretici ostendere non possunt hanc successione, vt probauimus. Altera cōditio est, vt vera fides sit Catholica, quæ simili modo ex symbolo probari potest, vbi etiam Ecclesia Catholica esse dicitur. Aug. cont. Epistol. Fundamenti c. 4. ex solo nomine Catholica, probat suæ fidei veritatem: dicitur autem Catholica fides, quia vniuersalis, hoc n. vox illa græca, latine significat: debet autem fides Christi esse vniuersalis, tempore, loco, & personis: quia Ecclesia Christi, ex quo fundata est, vniuersalem temporis durationem postulat: iuxta illud portæ inferni præualebunt aduersus eam, & pro toto mundo fundata est, & pro omnibus gentibus, iuxta illud Euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, &c. Et alibi: prædicabitur euangelium hoc in vniuerso mundo, & vniuersa creatura: ergo fides huius Ecclesiæ iisdem modis, vniuersalis esse debet: quod ergo spectat ad vniuersalitatem temporis, recte colligitur ex dictis, non inueniri in hæretica doctrina: quia non habet illam antiquitatem, quæ ad hanc vniuersalitatem necessaria est: id est, vt post Christum nullo tempore defecerit: & hoc satis est, vt non sit Catholica: quod vero spectat ad vniuersalitatem loci, & personarum, constat ordinariæ hæresim in quodam peculiari loco, aut gente versari, & non habere eam vniuersalitatem, quam Ecclesia Catholica postulat, vt ex dicendis magis patebit.

11. Præter has conditiones doctrinæ, considerari possunt aliæ superius tactæ, quas comprehendit Paul. ad Tit. 2. dicens, verbum fidei debere esse sanum, & irreprehensibile, quale ostendimus esse in Ecclesia Romana, doctrina autem hæreticorum ordinariæ, non est irreprehensibilis: quia semper aliqua miscet, quæ etiam rationi naturali non sunt consentanea, quod notauit in antiquis hæreticis, Irenæus lib. primo & secundo. & Epiphanius Hæres. vigesima sexta, & vigesima septima. Augustinus epistola 50. maxime vero inuenitur hic defectus in hæreticis nostri temporis: tollunt enim liberum arbitrium, quod est fundamentum moralis bonitatis, & honestatis, & Deum faciunt autorem peccati, & negant necessitatem bonorum operum, affirmantq. Deum noti imputare peccata credentibus, & similia, quæ manifeste sunt contra omnem rationem, & honestatem, non est ergo verbum illorum irreprehensibile, & con-

Suarez de Fide.

sequenter non potest esse sanum, quia nec ad sanitatem animæ confert, neque est sibi constans, nec proportionem, aut soliditatem habet, cuius ratio propria est, quia nullam habent hæretici credendi regulam, præter humanam coniecturam, quæ ordinariæ est iuxta vniuersumq. affectum, & inde fit, vt ex iisdem rebus habentibus eandem Dei auctoritatem æque proposita, seu æqualiter credibilem, quædam credant, alia non credant, solum quia ipsis ita videtur, vel quia vnum est consentaneum eorum affectui, & non aliud, vt notauit Epiphanius Hæres. 47. vbi admiratur, quàm inconstanter omnia dicantur, & fiant apud hæreticos, de quo videri potest epist. Athanasij ad Liberium, & epist. Ioviniani. August. lib. 7. Tripartitæ cap. 3.

12. Atque hinc fit, vt in doctrina hæreticorum, summa sit mutabilitas, & inconstantia, quæ maxime repugnat veræ fidei. Tribus autem modis hæc inconstantia contingit: primus est, quia author hæresis sæpe in vno loco contrarium illius affirmat, quod prius dixerat per incogitantiam, vel inaduerentiam, quod in nouis hæreticis maxime notatum est. Secundo aliquando mutant opinionem, quam prius tenebant, quod est apertum signum opinionis humanæ, non veræ fidei, iuxta doctrinam Pauli ad Gal. 1. sere per totum. Tertio frequentius contingit, vt post exortam hæresim, statim diuidatur in plures, per varietatem discipulorum, quod repugnat etiam vnitati fidei: de qua varietate, & diuisione doctrinæ, inter hæreticos, multa leguntur in Patribus, & in Historijs, & præsertim videri potest Augustin. lib. 1. de Baptismo cap. 6. de Agone Christiano capite 29. & 1. de Peccatorum meritis cap. 3. vbi ad Pelagianos, inquit, Prius apud seipsi consentiant, & ita fiet, vt à nobis nulla ex parte dissentiant. Nec enim dixit Tertullian. libro de Prescriptionibus hæreticorum, dum sibi aduersantur fidem nostram confirmant. Plura habet Irenæus libro primo, capite quinto, & vigesimo primo. & Cyprianus libro quarto, epistola secunda. Ambrosius quinto, de fide, capite quarto. & videri potest epistola Agathonis Papæ in sexta Synodo Action. quarta, & Tarasij in septima Synodo, Adion. prima: refert etiam Sozomenus libro nono Histor. cap. quinto. multos hæreticos propter hanc varietatem, & inconstantiam doctrinæ, ad fidem Catholicam rediisse. Ratio autem huius inconstantiæ est, quia hæresis non fundatur, in Spiritu DEI, sed in proprio iudicio, & ideo, sicut inter Philosophos inuenitur hæc diuisio sectarum, & opinionum, ita etiam inter hæreticos, de quo videri potest Augustin. sermone vnde decimo de Verbis Apostoli, & 18. de Ciuitate cap. 41. & Niceph. lib. 4. Histor. cap. vigesimo nono.

13. Hinc etiam notant Patres aliud signum hæreticæ doctrinæ, quod est mutilare scripturam, & eam proprio arbitrio interpretari, vel potius corrumpere, quoties enim ita virgetur aliquo testimonio Scripturæ, vt illi respondere non possint, magna facilitate negant librum illum esse canonicum, sicut modo hæretici negant libros Machab. primum, & secundum esse canonicos, quia ex illis manifeste probatur Purgatorium, & alij negant Epistolam Iacobi, quia ex illa conuincitur necessitas operum, atq. ita fit, vt proprio arbitrio, coniectura, vel affectu admittant, vel negent libros canonicos, per quod destruitur tota certitudo, & constantia fidei, de quo videri potest Irenæ. lib. 1. c. 29. & lib. 3. c. 20. & 22. Aliquando vero, & sæpius euerunt Scripturas, per falsas interpretationes, vt figurate intelligendo, quæ in proprio sensu ab Ecclesia & Patribus intellectæ sunt, sicut fecit Caluinus in verbis consecrationis. Vnde recte dixit Iren. lib. 5. coguntur multa male interpretari, quia vnum nolunt bene intelligere, de quo etiam August. lib. de vtilitate credendi cap. tertio, & vigesimo octauo cont. Faust. cap. vigesimo secundo. & Epiphanius.

G 2.

Hæres.

Tertia.

Quarta.

Secunda præterea doctrinæ fidei, quod sit Apostolica, de qua lib. 1. c. 17. de fidei conditionibus.

Tertia, quod sit Catholica, de qua lib. 1. c. 18.

Tertia præterea doctrinæ fidei, quod sit irreprehensibilis.

Hæreticæ doctrinæ vicia, & contra re- censentur. 1. vitiū cō- tradictio,

2. Inconstan- tia.

3. diuisio in plures.

4. Depraua- tio scripturæ.

5. Inefficacia
ad conuer-
tendas ani-
mas.

Hæref. 44. Tandem adnotavi, doctrinam Christi fieri maxime credibilem, ex efficacia eius ad conuertendas animas: contrarium ergo notant Sancti Patres, & Catholici Doctores in doctrinis hæreticorum: nam ordinarie non conuertunt animas ad Christum: neque hoc intendunt, sed pervertunt credentes in Christum, & hoc maxime procurant. Ratio autem est, quia non habent verbum Dei, quod est potens, & efficax ad conuertendas animas: sed habent verbum mere humanum: quod est aptum ad prævertendum, quia ordinarie docent ea, quæ placent sensui, & affectui humano, de quo videri potest Gregor. 8. mor. cap. 2.

Progre-
ditur
ratio
com-
paratio
ex
cundo
mori
no
in
sect.
3.
à
num. 5.

14. Secundum caput credibilitatis erat *authoritas testificantium, & predicantium doctrinam*: hæc autem maxime deest, in doctrinis hæreticorum, quod maxime notarunt Patres, quia author hæresis ordinariæ esse solet vitij deditus, & ideo fide indignus: maxime autem duci solent spiritu superbiæ: unde Augustin. lib. de Pastoribus cap. 8. Vna, inquit, superbiæ omnes illos genuit, sæpe etiam ducuntur avaritiam, ut de Simone Magolegimus Actor. 8. & Cyprian. notat. lib. 1. epistola 4. & videri potest libro quarto epistola nona, & Epiphani. hæref. vigesima quinta: aliquando vero concupiscentia, & voluptate ducuntur, ut notat Hieronym. Epistola ad Celsiphontem, & Vincent. Lyrinentis contra prophanas vocum novitates: quæ omnia, & alia plura complectitur Paul. 2. ad Timoth. 3. dicens de hæreticis. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, & infra, corrupti mentis, & reprobi in fide.* Similia habet epistola prima capit. quarto, quæ loca ponderat Cyprianus dicta epistola quarta, lib. primo, & epist. etiam 6. & videri etiam potest, Gregor. lib. 3. moral. capit. 17. His accedit, quod regulariter initium hæresis sumitur ex aliqua humana occasione, ut ex indignatione aliqua propter dignitatem non obtentam, vel aliquid simile, quod in antiquis hæreticis, notat Euseb. li. septimo Histor. capit. 33. & Nicephor. lib. quarto, cap. quarto, septimo, & vigesimo, & lib. sexto, capit. tertio. De novis autem hæreticis, & præsertim de Luthero nota est historia, de qua videri potest Coclaus in Actis Lutheri anno 1517. Et Hosius lib. 1. contra Brërium: est etiam nota & notabilis historia Henrici VIII. Regis Angliæ, & similes. Accedit denique quod doctrina hæretica non habet maiorem authoritatem à sequacibus, quam ab Authore, tum quia discipuli doctores hæretici, nec meliores, nec doctiores esse solent magistro: & ad minimum nullum habent indicium insignis sanctitatis, quæ in doctoribus Ecclesiæ catholicæ inuenta est, quod maxime in hæreticis nostri temporis verum habet, quia non solum Evangelicam perfectionem non sequuntur, verum etiam illam condemnant, & reprobant, consilia perfectionis abnegantes: tum etiam quia doctrina hæretica dici non potest in suum testimonium habere consensum populorum: quia licet interdum plures per illam pervertantur, nihilominus, ut dixi, ipsi inter se non consentiunt, & præterea maior pars orbis christiani illi resistit: tum denique quia nullum habet signum supernaturalis doctrinæ aut divini auxilij, quia nec Prophetiā habet, nec miracula, ut iam dicā.

Vitius
progre-
ditur
3.
comparatio
ex
motivo
in
sect. 3. n. 5.

15. Tertium caput credibilitatis fidei sumebatur ex divinis, & miraculosis operibus, quibus Deus ipse quasi subscribit tali doctrinæ, quæ maxime necessaria sunt, quando doctrina quæ, ut supernaturalis proponitur, incipit introduci, ut indicat Augustin. lib. 10. de Civit. cap. 8. Doctrina autem hæretica nova est, ut dixi, & ab ipsis hæreticis, ut supernaturalis venditur, & tamen in illius confirmationem, nullum miraculum exhibent: signum ergo est non esse divinum, quia ordinarius modus providentiæ divinæ est, doctrinam suam confirmare miraculis, præsertim quando prædicari incipit: quod supra monstratum est de doctrina Ecclesiæ Catho-

licæ. Imo ait August. lib. 22. de Civit. cap. octavo, non solum in principio Ecclesiæ, sed etiam in progressu eius, hanc doctrinam veris miraculis confirmari, quod usque ad nostra tempora factum esse conspiciamus. Et in tot historiis legimus, venon nisi impudenter negari possit. Atque hinc factum est, ut hæretici sæpius miracula edere, vel potius ostentare voluerint: facile autem intellectum est illa esse falsa, & conficta, de quo aliquid videri potest in 6. synod. Actione 15. & Epiphani. hæref. 66. & Tertull. de præscript. hæretic. Et de novis hæreticis alia referunt Alan. in Dialog. 6. capit. 29. 30. & 31. & Bellarmin. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. ubi specialiter de Calvino refert voluisse fingere resurrectionem mortui, & vivum occidisse. Igitur conferendo omnia indicia veritatis, & signa credibilitatis, in utraque doctrina: non solum est evidens Romanam fidem esse credibiliorem, sed etiam solam illam esse credibilem.

SECTIO QUINTA.

Quomodo possit hæc fidei credibilitas ad vsum applicari.

Hanc questionem propono, ut duo, vel tria dubia, quæ circa hanc credibilitatem oriuntur, brevitè explicem, & ita doctrina data clarior fiat: primum dubium est, de qua credibilitate accipiendum sit, quod diximus, obiectum fidei esse debere *evidenter credibile*, nam credibile dicitur per respectum ad fidem: unde sicut duplex est fides humana, & divina, acquisita, vel infusa, ita duplex potest esse credibile, scilicet, vel fide acquisita, vel infusa. Cum ergo dicitur obiectum fidei esse evidenter credibile, vel intelligitur de re credibili per fidem humanam: vel de credibili per infusam: primum videtur insufficiens, secundum autem videtur falsum, & impossibile: ergo. Prior pars minoris patet, quia si obiectum tantum esset credibile humana fide, neque amplius ostenderetur per dictam evidentiam, non posset homo conari, ad credendum illud obiectum, nisi humana fide: quod est contra rationem, & contra sufficientem propositionem obiecti fidei: probatur autem sequela, quia ex vi illius evidentie, solum posset sequi hoc iudicium practicum: *hoc est credendum sicut res alia humana*: ergo solum etiam posset sequi voluntas credendi illo modo: ergo non posset homo conari ad altiore fidem, quia per voluntatem debet incipere. Altera vero pars minoris probatur, quia non est evidens homini, dari vel posse dari fidem infusam, ut per se constat: quia est supernaturalis, & sola fide creditur: ergo nec potest esse evidens, aliquod obiectum esse credibile per fidem infusam, quia hæc est quasi denominatio formalis ab illa forma, & ideo si possibilitas formæ, non est evidens, nec credibilis illa potest esse evidens. Itē non est evidens Deum dixisse res fidei, ergo neque est evidens illas esse credibiles fide divina.

Dub. 1. An evidens credibilitatis hæc sit humana tantum vel divina.

Arguitur in primis quod non sit humana.

Deinde quod nec sit divina.

2. Ad hoc vero dubium brevitè dicendum est, *credibilitatem fidei, ut evidentem*, non esse mere humanam, sed superiorem, & perfectiorem. Hoc probat prima ratio facta, & declaratur, quia obiectum fidei proponitur, ut credendum fide tam certa, ut excludat omne dubium, & omnem formidinem, & tam infallibili, ut non possit illi subesse falsum: ergo proponitur ut credendum altiori fide, seu perfectiori, quam sit fides mere humana. Probatur consequentia, quia fides humana, ut talis est, non habet illas proprietates. Deinde proponitur obiectum fidei, ut credendum tanquam dictum à Deo, & non tantum ab homine: ergo proponitur, ut credibile fide divina; nam per hanc fidem, ut sic solū intelligimus illam,

Resolutio dubii.